



Prot. N. 976/18/1

BEATISSIME PATER,

Angelus Xaverius Pérez Pueyo, Episcopus Barbastrensis-Montisonensis, suas libenter faciens preces Silviae Peropadre Sanchos, Praesidis Consilii ad Confraternitates Hebdomadae Sanctae componendas, reverenter exponit die XXVIII Martii MMXIX, quadringentesimum completum iri annum, ex quo Sancti Sepulcri instaurata est Processio Generalis, quae quotannis in Hebdomada Sancta, sub Confraternitatis Sancti Sepulcri ductu, per Barbastrenses vias sollemniter peragitur. Ad felicem illum eventum rite celebrandum, a die XXVIII Martii MMXIX, usque ad diem XXVIII Martii MMXX, peculiare habebuntur sacrae functiones atque varia devotionis fovendae ac doctrinae tradendae incepta, eo intento fine ut salutaris devotio erga Sanctissimum Redemptorem et Dolorosam eius Matrem in fidelibus promoveatur eorumque mores impensius divino Evangelio conformentur. Quo autem abundantius Barbastrensiu Confraternitatum sodalibus omnibusque fidelibus, qui anniversariis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mus Orator Indulgentiarum donum ad instar iubilaei implorat. Et Deus, etc.

Die XXV Iulii MMXVIII

**PAENITENTIARIA APOSTOLICA**, de mandato Ss.mi Patris Francisci, iubilarem libenter concedit annum cum adnexa plenaria Indulgentia, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucranda, si ecclesiam Barbastrensem Cathedralem vel S. Francisci Assisiensis paroecialem in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilare celebrationibus, ut in supplicibus litteris determinatis, devote interfuerint, vel saltem humiles Deo effuderint preces, concludendas Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Iesu Crucificis et B. Virginis Mariae Perdolentis, pro conversione peccatorum et dilatatione Regni Christi totum per orbem terrarum.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus vel processionibus se spiritaliter adiunxerint, precibus ac doloribus suis misericordie Deo per Mariam Dolorosam oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut Cathedralis Canonici et clerus, Parochi piorumque sodalitiu cappellani, in celebratione Paenitentiae, generoso animo se praebeant atque infirmis S. Communionem saepe ministrent.

Praesenti totum per spatium iubilare anni valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

*Maurus Card. Piaccenza*  
MAURUS Card. PIACCENZA  
Paenitentiaris Maior

*Christophorus Nykiel*  
CHRISTOPHORUS NYKIEL  
Regens